VII. *Muris Alpini Anatome.* *A* Joh. Jacobo Scheuczero, Tigurino, *M. D. R. S. S.*

RElictis abdominalibus muſculis, aperto abdomine, in conſpectum venit illico omentum pingue admodum, cujus tractus pinguedinoſi vaſis ſanguiferis epiploicis intertexti pulcherrimum formant rete; ſed eſt hæc omenti pinguedo concreta magis & compactior ea, quæ mox deſcribenda venit, ac veluti emaciata, ut omninò judicare liceat, reſorptas eſſe per hyemem durante ſomno fluidiores oleoſi hujus liquidi partes per venam portæ, ut inſervirent tum ſecretioni bilis, quâ veſica bilaria fuit admodum turgida, tum nutrimento ipſius corporis.

Ex utroque hypogaſtrii latere copioſiſſima conſpicitur & laxioris, quàm illa omenti, conſiſtentiæ pinguedo, quæ inde à renibus ſeſe protendit ad inguen, formans veluti alterum, imò duplex omentum, quæ pinguedo, uti & illa meſenterii, quæ ductum inteſtinorum omnium comitatur, adeſt tum ad lubricanda viſcera abdominalia, tum in ſucci nutritii amplum penuarium.

Ad duodeni latus pro more, imò ultra ejus curvaturam, ſeſe protendit pancreas, idque valde extenuatum, in quo macilentiæ ſtatu vidimus omnes alias corporis glandulas, ſpeciatim eas, quæ muſculis interjacent; in his animantibus tardiſſima eſt ſanguinis circulatio, tardiſſimæ omnes corporis ſecretiones; nulla interim ſeri vel lymphæ, quæ tardam quidem, ſed tamen ſucceſſivam habet ſecretionem, revectio, ut tandem ſanguis omni penè ſero orbetur; hinc non mirum, quod

deficiente lympha ſecernenda, glandula pancreatis, & ſic quoque aliæ debeant emaciari.

Aperto duodeno in conſpectum prodit bilis ſpumoſa, quæ ipſa indicat ſeri defectum.

In fœmella hac uteri cornua ſeſe protendunt ad duos pollices Pariſinos, tubæ pertenues filo vix craſſiores ad $\frac{1}{2}$ pollicis, ovaria 2 lineas circiter longa, unam lata, alba, ſub microſcopio pellucida, cum prominentibus ovulis diſtinctæ diaphaneitatis.

Hepatis ſatis magni lobi ſunt ſex, & aliqui horum in duos veluti ſubdiviſi per inciſuram: Lobo infimo mediante membrana connectitur cum rene dextro.

Renes pinguedine toti ſunt obſiti.

Renes ſuccenturiati ad latus venæ cavæ ſupra emulgentes corpuſcula ſunt flavicantia tres circiter lineas longa vix dimidiam lata, hepar inter & renes conſpicua; ſed uti aliæ glandulæ, macilentæ.

Ventriculi ſtructura eſt, uti in animalibus aliis prohibitis & carnivoris, ſimplex membranoſa, licet hoc animal ſit herbivorum, figura ejus extat litera *A*.

Singularis ſtructuræ eſt fiſtula inteſtinalis in confinio inteſtinorum tenuium & craſſorum.

Ingreſſus ilei in colon in diametro habet duntaxat tres lineas; colon è regione ilei 2 lineas. Sed quod incurvatur ibidem cœcum, eſt ex ampliſſimis, 2 pollicum in diametro. Memorabilis eſt valvula coli dicta, annuli ad inſtar rotunda, ſingularis prorſus ſtructuræ. Exilis quippe admodum eſt.

Ingreſſus ilei veluti inter duas tunicas conniventes, ita ut nullus prorſus concedi poſſit excrementis ad inteſtina tenuia regreſſus. Et membranæ duæ, quæ mutuo occurſu valvulam illam formant, rhomboidalis ſunt figuræ. Adſunt præterea aliæ valvulæ conniventes annulares, & veluti in ramos protenſæ tres quatuorve principales verſus inteſtinum cœcum. Illuſtrat hæc ob-

obſervatio egregie uſum inteſtini cœci, quod in infantibus recens natis ordinariè eſt capacius. Inſervit nempe id diverticuli loco excrementis per novem menſium decurſum in inteſtinis colligi, nec per ea excerni ſolitis. Par hic eſt ratio animantium, quæ per hyemem integram in montium cavernis dormiunt. Nulla per illud tempus fit excrementorum egeſtio, & tamen non obſtante hâc tardiſſimâ circulatione atque ſecretione, nullâve ciborum aſſumptione, collectio fit eorundem, quæ ne inteſtina utriuſque generis infarciant nimium, amandantur ad cœcum, ibique ad uſque vernum tempus manent; regreſſus autem ex eodem ad colon impeditur imprimis per valvulas ante deſcriptas. Structuram hanc inteſtinorum memoratorum integram oculis exhibet figura B ; valvulæ autem coli & aliarum conniventium fig. C. Ex myographia ea imprimis contemplanda duximus, quæ actiones hujus animalis diſtinguunt ab aliis aliorum. Immediatè ſub cute craſſus eſt & fortis muſculus platyſma myoides dictus, qui colli partem anteriorem & lateralem, imò & totum muſculum maſſeterem faſciæ inſtar involvit. Ad ipſam uſque articulationem humeri cum cubito ſe protendens labio tum inferiori, tum ſuperiori inſeritur, & motum frequentem pedum anteriorum flexorium ſimul & labiorum inſigniter adjuvat. Hæc quippe Animalia cibos pedum anteriorum beneficio, veluti manibus apprehendentia, ori admovent, & terram illorum ope ſuffodiunt.

Glandulæ thyroideæ ad laryngis latera magnæ, haud dubiè ad irrigationem muſculorum vicinorum, quorum uſus admodum eſt frequens, quem ipſum in finem paſſim aliis muſculis interjacent alia corpora glanduloſa paſſim memoranda.

Sternohyoideus & ſternothyroideus in ordinario ſunt ſitu.

Fortiſſimus & tendinoſus valde eſt maſſeter, maximi in his animalibus uſus.

Fortiſſimus item depreſſor maxillæ inferioris digaſtricus, qui baſi oſſis hyoidis & ejus cornibus forti item tendine à proceſſu ſtyloide ortus in maxillam inferiorem ad mentum ferè uſque inſeritur, cujus venter anterior imprimis eſt craſſus & poſteriori quadruplo fortior.

Loco geniohyoidei externi adeſt ſtatim ſub mento maſſa carnea muſculoſa craſſa, triangularis inde à maxillæ inferioris concurſu, ſive angulo, ſeſe in quinque lineas lateraliter protendens, quæ maxillam inferiorem imprimis connectere videtur. Poſt hunc baſi linguæ inſternitur muſculus latus tranſverſis fibris carnoſis à maxillæ inferioris parietibus internis ortus, qui tum in mediam linguæ baſin, tum in os hyoides inſeritur; qui etiam ſupplere videtur geniohyoideum externum. Tenuis ille eſt & à ſubſtrato geniohyoideo interno, ſive genioglosſo vix ſeparandus.

Styloglosſus fortis quoque eſt muſculus, carnoſoque principio à proceſſu ſtyloide ortus in fortem deſinens tendinem.

Conſpicui valde ſunt muſculi cricothyroidei item hyrohyoidei.

Ad latera gulæ & aſperæ arteriæ glandulæ ſunt utrinque ad digiti ferè longitudinem protenſæ, quæ nonniſi elevata aſpera arteria & gula in conſpectum veniunt, & lubricandis his partibus inſervire videntur.

Fortis eſt muſculus rectus anticus major ejuſdem planè ſtructuræ uti in homine.

Ceratohyoides triangularis muſculus à cornibus oſſis hyoidis ortus in baſin ejus inſeritur.

Thy-

Thyroarytænoideus ſub ſphinctere gulæ conſpicuus ad id ſpeciatim inſervit, ut clangorem his animalibus proprium efficiat conſtringendo fortiter Arytænoideas cartilagines.

Muſculi pterygoidei ſunt admodum fortes.

Ad ſupra jam deſcriptum platyſma myodes adnotandum porro, portionem craſſam ſatis inferi ſpinæ ſcapulæ, ſed quoque eidem muſculo tranſverſim implantari alium tenuem trapezio inſtratum, qui proin integer ex variis partibus coadunatus muſculus inſervit motui labiorum, flectendo cubito, levandæ ſcapulæ & antrorſum ducendis brachiis, quorum opera hæc animalia terram fuſſodiunt, aliaſque res ſuas peragunt.

Trapezius eodem prorſus modo ſe habet ut in homine.

Rhomboidis loco adeſt muſculus fortis ſub trapezio in conſpectum veniens, qui oritur non ſolum à ſuperioribus ſpinis vertebrarum dorſi, & inferioribus colli, ſed omnibus omninò ſpinoſis tranſcurſibus vertebrarum colli, & inſuper ab occipite, ita ut ſcapulam non ſolum retrorſum moveat, ſed etiam elevet, ſicque patientiæ muſculum in actione ſua adjuvet.

Inſertio hæc rhomboidis in occiput obſervatur quoque in quadrupedibus aliis, & haud dubiè eum in finem adeſt, ut caput pronum pendens tanto melius ſuſtineatur.

Patientiæ muſculus tenui principio oritur ab apophyſi tranſverſa primæ vertebræ, & in principium ſpinæ ſcapulæ inſeritur.

Hujus actionem adjuvat alius eodem principio ortus, qui ad finem ſpinæ dictæ inſeritur, qui duo proin junctim ſumpti totam ſcapulam attollunt.

Ser-

Serratum inter anticum majorem, qui eodem modo ſe habet uti in homine, & ſubſcapularem adeſt glandulosa caro magna & lata fortibus his muſculis lubricandis inſerviens.

Serratus anticus major non ſolùm dentatas habet origines à coſtis, ſed etiam fortes & craſſas propagines arceſſit à proceſſibus tranſverſis vertebrarum colli.

Aniſcalptor adeſt duplex unus alteri inſtratus, inferior & latior atque ſortior dentatis veluti proceſſibus ab ipſis coſtis, imprimis inferioribus oritur, & inferiori ſcapulæ coſtæ in tranſitu firmiter annexus lata ſatis baſi humero uti in homine inſeritur, & præterea propaginem mittit tenuem ad ipſum olecranon, ita ut non ſolùm humerum retro deorſum trahat, ſed etiam cubiti extenſioni inſerviat.

Muſculi humeri infraſpinatus, ſubſcapularis, & rotundus uterque eodem modo ſe habent uti in homine.

Deltoides duplex eſt. Ea pars, quæ oritur à clavicula & acromio in flexuram cubiti inſeritur, adeoque non tam ad humeri, quàm ad cubiti muſculos pertinet; altera verò portio, quæ ab acromio & ſpina ſcapulæ oritur, exteriorem humeri ſitum obtinet in medium circiter humerum inſerta; hunc proin non ſolùm ſurſum movet, ſed & extrorſum abducit.

Coracobrachiæus tenuis eſt muſculus ejuſdem ſitus & uſus ut in homine.

Inter extenſores cubiti primus eſt tenuis, reliquiis faſciæ ad inſtar inſtratus, à coſta ſcapulæ ortus; ſequuntur duo alii fortes, quorum unus etiam à coſta ſcapulæ oritur, alter à ſuperiore parte humeri, qui aliquandiu progreſſi ſeſe uniunt & ſorti tendine in olecranon inſeruntur.

Sub his alius latet itidem ſortis, qui à ſumma humeri parte ortus cum anconæo ſeſe unit.

Hic

Hic ipſe autem fortior & craſſior eſt, quam in homine, & exterius atque inferius humeri latus occupat.

Inter flexores cubiti biceps ejuſdem eſt ſtructuræ uti in homine.

Brachialis verò interni origo ſeſe protendit ad capitulum uſque humeri, & in ſuo progreſſu hic muſculus totam humeri externam partem veluti faſciatim ambit, & eodem loco uti in homine inſeritur.

Flexores carpi adſunt tres; Extenſores carpi tales ſunt, quales in homine.

Extenſores digitorum ſunt primò communis, qui in tres digitos priores inſeritur ab humero ortus. Secundus cubito deſcendens, in ultimum & penultimum inſeritur.

Adeſt & indicator ſ. extenſor indicis.

Pronatores ſe habent uti in homine.

Ex ſupinatoribus longus brevior eſt brevi, cæterum ejuſdem ſitus uti in homine.

Aliorum muſculorum deſcriptiones reſervamus in aliud tempus.

Figurarum Explicatio.

Fig. 5. A B. Gula, C D. Duodenum, E. Ventriculus.

Fig. 6. E H. Ilei portio, G. H. Coli portio, H F I. Cœcum omnia magnitudine naturali.

Fig. 7. *a a* Coli valvula, prorſus fere uti depingitur in homine, niſi quod fermè ſit rhomboidalis; *b c* Apertura Ilei in Colon.

Fig. 8. K. Portio Cœci, cujus ima pars eſt aperta versùs Colon, ut Valvulæ conniventes ramoſæ o o o in conſpectum veniant.

ERRATA.

Page 223. line 23. r. *Fig.* 2. ibid. lin. 31. r. *Fig.* 3.

FINIS.

Fig. 5.



Fig. 7.



Fig. 6.



Fig. 8.